



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S. Maria Ægyptica 9. Aprilis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

anum? Considera singulas actiones tuas, vide, num  
 peinde terrena quæras oblectamenta, quasi non fo-  
 rent cœlestia. Numquid Gentiles & hæretici dili-  
 gentius comprimunt suas cupiditates, & sæpius  
 largiusque miseros sublevare consueverunt? *In no-  
 bis patitur Christus opprobrium, in nobis Christiana lex  
 patitur detrimentum.* Salv.

## S. MARIA ÆGYPTIACA

9. Aprilis,

*Gaudium erit super uno peccatore  
 pœnitentiam agente. Luc. 15.*

**A**vdite omnes apud Divinum tribu-  
 nal rei: Patronam si **MATREM** Iudi-  
 cis habetis, causam peractam habetis: certè  
 causa laboravit illa **MARIA**, cui nomen **Æ-**  
 gyptus dedit, & tamen hâc non cecidit, ubi  
 melior **MARIA** peroravit. Quid enim? no-  
 minis illa sui oblita, ut voluptati litaret, pu-  
 dorem non venalem, sed gratis omnium li-  
 bidini exposuit: quin festo exaltatæ crucis  
 die, cùm Hierosolymam orbis conflueret,  
 ausa est velle ibi infanda Veneris sacra pub-  
 licare. Sed molientem ter pedem impurum  
 templo inferre, ter repulit vis arcana. Quid  
**MARIA?** ad **MARIAM** abit; quid agis mi-  
 fera



feras? Veneri patrocinari vis virginem? O  
 Quid apud Matrem non possunt lacrymæ?  
 quid non lac Matris apud sanguinem potest  
 Filii? Orat illa, exorat ista: absolvit iudex  
 admissam, quam absentem damnaverat. Sed  
 audite pœnitentem, qui peccantem inspeci-  
 tis. VI. annis supra XL. delevit lacrymis fe-  
 ras inter, quidquid inter homines peccave-  
 rat, semper oppugnata ab Orco, semper vic-  
 trix VIRGINIS auxilio; nulli hominum nisi  
 Zosimo visa. Is divino ductu ad eam venit,  
 & vitæ seriem, quam dedimus, audivit;  
 cum sacro dein epulo revisit, quod ut cape-  
 ret MARIA, per Iordanem sicco vestigio  
 advolavit. ita puram cum undæ jam probas-  
 sent; secundo redux defunctam in arenâ of-  
 fendit; anxio verò de sepultura Leo super-  
 venit, & fossam unguibus dedit, æternum  
 non tam pœnitentis; quàm miserantis MA-  
 RIÆ monumentum. *Ex vit. PP.*

M E D I T A T I O

*De pœnitentia agenda.*

I. Sicut nullum est momentum, quo Deum non  
 experiris beneficium, sic nec momento susti-  
 ne illum offensum. Æterni interitûs discrimen est  
 gravius aliquod vel momento fovisse crimen. Of-  
 fensa omnis in semitâ Cœli error est, quò diutiùs  
 procedis eò longiùs à Deo recedis.



2. Peccati venenū ideò noli retinere, quia te nondum occidit, occidisset enim, nisi Deus pepercisset. Quò is parcat diutius, tantò puniet gravius. Potestne tibi placere peccatū tuum? quod Deum hominem mori coëgit? & cuius sola cogitatio sanguinem expressit; tibi nondum suspirium, ne dicam lacrymam extorsit?

3. Penitencia appellata est quasi punientia, eò quòd ipse homo in se penitendo punit, quod malè admisit. Hugo. lib. 3. de Mini: Ecclesie. Et nondum penitendo punis? peccasti cum Egyptiaca? cum Davide? cum Petro? punit peccatum in te, uti penitentes & illi punierunt in se, nec æternum punieris.

---

## S. M A C A R I U S P A T R I A R C H A

10. Aprilis.

*Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* Matt. c. 5.

**M**ACARIUS Armenus Patriarcha Antiochenam sedem beavit, sed multò magis pauperes quos unos domi palatinos, foris antecambulones habuit. Ob id & quæ jam tunc patrabat mira, ne in ore omnium esset, omnium oculos fugit, & sub quo lateret ignobilis, sepulchrum Christi petiit. Sed Saracenorum